De ratione, quae interest inter Homeri et epici cycli carmina, quod attinet ad utrorumque naturam et artem.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

MATHIAS HUBERTUS GREIN

COLONIENSIS ET PROGYMNASII GLADBACCENSIS PRAECEPTOR.

GLADBACHI

Typis Rob. Hoster.

De ratione, quae interest inter Homeri et epici cycli carmina, quod attinet ad utrorumque naturam et artem.

§. 1.

In nulla litterarum graecarum parte recentior nostra aetas tot viros doctos vidit concurrere ad certamen, quam in ea, quae est de Homeri cyclicorumque, qui dicuntur, poetarum carminibus, nec facile ullum veterum scriptorum, philosophorum, grammaticorum locum huc spectantem reperias, quem non vocaverint in quaestionem. Quae quidem res imprimis, duce maxime et auspice Frid. Augusto Wolfio, acerrimis studiis uberrimisque disputationibus digna habebatur, et quamvis propter obscuritatem et paucitatem veterum testimoniorum haud raro sibi repugnantium tantis difficultatibus premeretur, ut non multum a vero abhorreret illud Buttmanni: „meris coniecturis niti non solum quod de cyclo affirmes, sed etiam quod neges,“ tamen assiduis virorum eruditorum studiis res caliginosis tenebris prospere erepta maiore certe ex parte in lucem protracta est. Neque tamen nunc pauca sunt, de quibus viri litterati inter se discrepent, quum hi testimoniis incaute et perverse usi deplorandum in modum verum excederent, adversarii autem repugnando mirifica et saepissime insana cupiditate abrepti recti fines non minus migrasse viderentur. Cavendum igitur est, ne illorum vestigiis incautius insistamus, sed revereamur

simul et probemus testantium fidem, discernamus eorum aetates opinionumque progressus. Itaque quum hanc rem espediturus sim, non adeo mihi indulgeo pro mea ingenii mediocritate, ut repugnando aliorum rationes certamen adversus virorum doctorum dissensiones mihi ineundum esse putem. Sed etsi mihi, ut Fr. A. Wolfii verbis utar, eruditorum venia opus est eam tentaturo rem, haud ingratum tamen fore arbitror, si, quae passim dissipata feruntur, adhibito de gravissimis rebus indicio, ad brevem conspectum revocare potuero. (Proleg. ad Hom. p. 198.) Nam cum dies viresque deficiant, si omnia velim complecti, satis erit congessisse ea, quae rei difficillimae maxime conveniant. Qua in cura si forte erravero, vix quisquam est, qui mihi succenceat; iuvat illud Scaligeri: Non est, inquit, turpe errare si modo non errare malueris, est enim initium sapientiae, si minus ei, qui fallitur, at aliis non fallendi.

Ratio autem nostrae commentationis haec erit: Praemissis breviter sententiis, quas viri docti de origine et fide carminum Homericorum produnt, dicamus primum de epico cyclo, qui dicitur, h. e de iis, quaecunque ad ἐπικὸν κύκλον et ποιητὰς κυκλικούς pertinent. Quibus pro rei natura et vi enucleatis omnem operam conferendam censemus in illustrandam rationem, quae interest inter Homeri et cyclicorum poetarum carmina, quod attinet ad utrorumque naturam et artem.

§. 2.

Ac primum quidem quaestionis Homericae conditionem primis huius saeculi annis aliam fuisse vix cunabulis egressae, aliam nunc mirum in modum adultae et fere provectae ad senectutem, satis constat inter omnes. Quae quidem conditio, quam laetis studiorum fructibus, quam insigniter in dies magis mutata sit, non est, quod doceam. Sed in hac litterarum felicitate quicunque ex-

sultamus, ne virum praestantissimum F. A. Wolfium dimittamus illaudatum, cuius e seminibus haec omnis seges effloruit. Quotiescunque enim mecum reputo, quam caute et ingeniose ille arte critica usus sit, vix quemquam esse puto, qui ei succenseat, quod rei novitate et gravitate in eam argumentationis rationem adductus sit, quae, quamvis saepenumero claudicaverit, tamen ad ea, quae vera sint, quaerenda viam muniverit. Wolfius autem, quid voluerit et senserit de prisca et genuina forma Homericorum carminum hisce verbis (prol. p. 149). complexus est: „Mihi vero sive Graecorum ipsorum, sive aliarum gentium progressus intueor, illud minime credibile videtur, quod credere assuevimus, haec talia duo opera unius ingenii repente ex tenebris splendescere et nitore partium et multis magnisque virtutibus summae perpetuae etc.“ (conf. prol. p. 39). Haec celeberrima doctrina tanquam fulmen sereno coelo demissum in terram hominum litteratorum animos mirum in modum commovit. Exstitit autem eorum innumerabilis fere multitudo, qui aut nova re obstupefacti ingeniosam auctoris audaciam admirarentur, aut ob nominis sanctitatem et principis poetae memoriam spernerent et prorus abiicerent. Fuerunt, (nec non plurimi pietate ducti) qui non satis expendentes, quorsus haec spectarent, in Wolfii sententiam cederent, longe antiquissimum rati laudem a viro ingenioso partam amplificare. Neque defuerunt, qui huius rei meritum detrectarent sibique eius partem quandam vindicarent, in quibus Heynius praecipue a Wolfio reprehensus est. Sed quoniam non est huius loci, omnes eorum sententias cognoscere, ne dicam excutere (quae sit dura conditio), qui adversarios vel suffragatores sese iactabant, satis fore arbitror eorum potissimum rationem habuisse, qui animis a temere conceptis opinionibus revocatis ad rem investigandam, qua par esset moderatione et virtute, accederent. Mittamus ergo turbam omnium illorum, et

Germanorum et Francogallorum (conf Bernhardy Hist. litt. graec. I p. 77.) qui ingenio impares mirifica abrepti cupiditate undique decurrerunt ad ea comprobanda aut refutanda, quae ne comprehensa quidem satis habebant. In Wolfii sententiam duos potissimum cessisse constat, quorum uterque, iis ad confirmandum capessendis, quae auctor (prol. p. 122. aliisque l.) de Odyssea significaverat, sententiam comprobare studebat. Nam alter Koës Danus in commentatione de discrepantiis in Odyssea, alter Spohnius Saxo in commentatione de extrema parte Odysseae, quam firmis argumentis viri doctissimi disputatio niteretur, copiosius exposuit. Neque vero disertiores in hoc genere suffragatores et aemuli exstiterunt, quam Schlegelius et O. Muellerus. Quorum ille Iliadem et Odyssem, ut summam tandummodo attingam, ex ἀριστείαις et νόστιος conflatas finxit. In cundem modum censet Muellerus, speciosa magis quam vera argumentatione usus in eo libro, qui „Homerische Vorschule“ inscribitur: „Vixisse fortasse principem aliquem poetam, qui novae artis exemplis epicorum studia excitaverit et in eam vocaverit aemulationem, qua tum ipsius opera eodem quasi filo pertexerent, tum suopte ingenio seorsum similia exhiberent. Ita, quum per Asiae oras atque insulas variis locis sive singuli ex eodem genere poetae sive scholae epicorum floruissent: accidisse idem quod in Hercule, vel Daedalo, vel Orpheo, ut quae multorum et longioris alicuius aetatis essent, uni mancipata sint, et epicorum illa et operis Homerici secta vel scholae plures in unum coaluerint nomen Homeri.“ Omissis omnibus iis, qui ingenio invalidi ad ineptias argutiasque confugere, quam praestantissimi ducis vestigia premere maluerunt, transitus fiat ad eos, qui doctrinae Wolfianae adversarii exstiterunt. Neque enim defuerunt decora ingenia, quibus, qui multos tenebat, errorem tollere contingeret. Quot enim nunc sunt, qui ab exiguis famae primordiis compositum putent poema tanquam al-

luvione aliis similibus frustulis auctum opera rhapsodorum ita accrevisse, ut unum et ab omni parte perfectum carmen nasceretur, aut Pisistratum ex carminibus de bello Iliaco passim vulgatis potissimum ex ἀριστείαις Iliadem ex νόστοις Odysseam consuere potuisse? Contra haec viri docti pro viribus quisque id agebant, ut alii litterarum usum adversus Wolfium defenderent, alii iique non pauci Iliadis et Odysseae compositionem et unam atque simplicem actionem statuerent. Quid multa? Nitzschii et Welckeri virtus et sollertia saepenumero hoc loco laudata rei obscurae magna ex parte nonne lucem dedit? Quorum prior haudquaquam longinquae disquisitionis taedio affectus et rara doctrina non minus, quam egregio ingenii acumine insignis totam quaestionem Homericam uberius accuratiusque tractare coepit, et quicunque vera magis quam speciosa sectantur, sententiae eius calculum addiderunt. Fuit autem haec Nitzschii virtus singularis, ut, qua ingressus erat via Fr. A. Wolfius, eam secutus de Homeri carminum origine et natura ex universa Graecorum poesis conditione et historia aestimandum esse doceret. Historiam enim Homeri criticam ille interpretatur eam, „quae non tam rerum famaeque, quam testium aetatem sequatur, corumqne primum ipsorum, deinde rerum ab iis traditarum fidem exploret“ etc. Temere autem videntur iudicare qui hanc argumentationis rationem reprehendant aut plane abiiciant, quum hac rem ad finem perduci posse negent. Sane concedendum est, multa legi in „meletematis Hist. Hom. et in eo libro, qui „Sagenpoesie“ inscribitur, quae coniecturis nitantur et certis argumentis careant, multa porro integra et dubia esse relicta: sed meum fuit semper indicium, nobis cavendum esse, ne cum iis faceremus, qui insulsi et inepti censoris partes agerent. Etenim res ea est, quae non semel sed iterum virorum doctorum mentes destituat et a fide rerum traditarum ad probabilitatem avocet; si

quidem viros doctissimos, qui Homericae quaestioni operam dederunt, fateri audimus qnam ambigua, quamque operosa et ardua haec conditio sit. G. W. Nitzschium autem Homeri memoriae vindicem studiosissimum ob eamque rem Wolfii et aemulorum adversarium acerrimum fuisse, non est, quod doceam. Atque Wolfius ipse difficultates illas, quas mirifica forma et descriptio horum ἐπῶν (prol. p. 125.) partiumque dispositio objicit, singulatim expendendas aliis mandavit, quod mandatum tamquam heriditate relictum primus, nisi fallor, Godofr. Hermannus suscepit. Hic enim edita de interpolationibus Homeri dissertatione maiorum interpolationum indicia ea rumque attulit, quibus illatis ipsa carminum forma et descriptio vel difficta vel parum secum congruens deprehenderetur. Videbatur autem Hermanno ea pars, quam alii nunc maxime necessariam dicunt, plurimis interpolationibus conturbata esse, et libro undecimo carmen peculiare „Agamemnonis ἀριστείαν contineri idem voluit, quod exeat v. 596, sed non longe ab eo fine interpellatum sit. Idem septimum et octavum librum Iliadis plurimas ob causas recentiori nec sane summo poetae tribuendos carminibusque, qualia exstant, Antehomerica, Homerica, Posthomerica inesse arbitratur; idem denique alteram Wolfianae sententiae formam sectatus Iliadem in minora carmina dissolvit, quorum unum idque longum et praestantissimum Homerum composuisse putat, ita ut hoc exemplo excitati epici poetae hoc carmen additamentis auxerint auctaque carmina collectores in haec duo corpora coniunxerint. Itaque qui eum secuti Iliadem et Odysseam ab Homero inchoatas, aemulorum opera pertextas contendebant, quid in carminibus genuinum, quid ascitum esset, investigandum sibi proposuerunt. Quo in studio homines litterati alii alia ratione utebantur, quum hi nomini Homeri, quantum possent, assererent et servarent, alii vero poetae corpus tamquam lacerarent et Homerum ex Homero auferrent. Quam ob rem mi-

randum non est, quod tam pauci caute et circumspecte versati sunt in distinguendis iis, quae interpolationis convicium haberent et quaé interpolationis nihil nisi speciem prae se ferrent. Ea vero plurimorum ratio fuit, ut unum et continuum carmen multis partibus a recentioribus poetis auctum et amplificatum subesse putarent. Horum rationes maxime nituntur lectionum discrepantiis, neglecto digammatis usu, Homerici sermonis indole et conformatione saepenumero desiderata, locis iteratis, rebus denique, quae minus inter se concinunt, metricis. Accedit incuria rhapsodorum, a quibus sine dubio nonnulla in carmina antiquiora illata sunt, ut aut conciliarent sibi audientium animos, aut, cum singulas tantum carminum partes recitarent, auditoribus prospicerent. Addiderunt fortásse tum gentium locorumque quasdam laudes, tum quarundam rerum aliquas caussas, quibus, si universa recitata essent carmina, vix opus fuisset. Attamen vel eiusmodi interpolationes nobis nonnullae possunt esse servatae. Non Atheniensium solum intelligo mentionem interdum incommodam, sed alia etiam inepta atque inutilia, qualia sunt, quae leguntur Il. σ, 168—185; 356—368, quae recentioribus temporibus hoc modo inserta esse videntur. cf. Hermannus de interpol. p. 9; Nitzsch. „Sagenpoesie" p. 168 sq. Hoffmannus, id quod mireris, his, quas significavi, rationibus in eam sententiam adductus est, ut sex diversis aetatibus Iliadem, qualis nunc esset, confectam esse putaret. cf. Hoffmanni quaest. Homericae sub finem; Nitzsch. „Sagenpoesie" p. 131.

§. 3.

Alterum autem Wolfii genus aemulorum est, qui Aristotelis gravissimi auctoris iudicium repudiantes singulas carminum partes bene inter se congruere negant, id quod non tam ad Odysseam, quam ad Iliadem referunt.

Notum est enim illud Wolfii (prol. p. 129.): „In Iliade naturalis est ordo rerum gestarum nec initium primae rhapsodiae lectorem aliter in medium cursum rerum ducit atque ut fit in ceteris rhapsodiis plerisque: v. c. in ἀριστείαις, in quibus illud quoque notabile est, quod heroes plane sic producuntur quasi antea non comparuissent.“

Wolfius vero ipse tantum aberat, ut sententiam defenderet ac bene teneret, ut memoriam acceptissimi poetae restitueret atque recoleret his verbis: (Praefat. ad Odyss. Ed. II. p. 21.) „Nunc quoque usu venit mihi nonnunquam, quod non dubito eventurum item aliis esse, ut quoties abducto ab historicis argumentis animo redeo ad continentem Homeri lectionem et interpretationem mihique impero illarum omnium rationum oblivisci, quantum potest, et cum veteribus grammaticis nonnullas ῥήσεις postremarum rhapsodiarum ut interpolatas legere, et alia pro indubiis sumere plura, quae nos ad pristinam legendi consuetudinem reducant, atque ita penitus immergor in illum veluti prono et liquido alveo decurrentem tenorem actionum et narrationum, quoties animadverto et reputo mecum, quam in universum aestimanti unus his carminibus insit color, aut certe quam egregie carmini utrique suus color constet, quam apte ubique tempora rebus, res temporibus, aliquot loci adeo sibi alludentes congruant et constent, quam denique aequabiliter in primariis personis eadem lineamenta serventur et ingeniorum et animorum, — vix mihi quisquam irasci et succensere gravius poterit, quam ipse facio mihi simulque veteribus illis, qui tot obiter iactis iudiciis destruunt vulgarem fidem ac suam ipsorum, soleoque interdum castigare sedulitatem et audaciam meam, quae timido alioquin et antiqua libenter retinenti nec sine religione monumenta vetusta tractanti hanc extorquet voluptatem,

ut pro Homericis habeam atque „Homeri unius“ artem admirer in his, quae apud eum hodie legimus.“ Medii inter Wolfianae doctrinae aemulos et Nitzschium aliosque sunt, qui carmina duobus poetis adsignant, quorum utrique ob studium et operam nomen Ὁμήρου i. e. Consertoris impositum sit. Cuius opinionis auctor praestantissimus est Welckerus, qui, qualem Homerum sibi finxerit, in libro, qui est de epico cyclo, profitetur ita: (p. 118) „Und nur dieser idielle Namen Homer konnte auf alle Werke derselben Art übergeben, nur nach ihm konnte man alle die, welche Homerische Kunst dichtend oder durch blossen Vortrag übten, Söhne Homers nennen, wie in der Odyssee die Aerzte Söhne Päans des Heilers, der Heilkunst genannt werden. Durch diese Unterscheidung wird die Bedenklichkeit derjenigen beseitigt, welche durch eine Erklärung des Namens die Persönlichkeit Homers gefährdet glauben. Der Dichter der Ilias ist eine Person, unter allen Geschlechtern der Menschen eine der hervorragendsten, eine andere unbekannte Person, eine höchst sinnvolle und kunstgeübte ist der Dichter der Odyssee, nicht aber ist der Homer eine Person, welcher soviele Poesien einige Jahrhunderte hindurch dichtend fortführt u. s. w.“

De Odyssea non tanta inter viros doctos dissensio est, quanta de Iliade, quae sit compositio quaque ratione singulae partes inter se conveniant et ad unum finem et unam actionem intendant, quamquam Kaiserus (de diversa carm. Hom. origine Heidelberg 1835) Odysseam ex singulis carminibus conflatam esse voluit.

§. 4.

Iam pervenimus ad alteram partem, quae est de poetis cyclicis, qui ducuntur. Hanc quaestionem multis de caussis difficilem et operosam esse, iam supra

docuimus. Nihil enim nisi fragmenta et frustula, ut ita dicam, ad nos pervenerunt et plurima quidem testimoniis nituntur non raro sibi repugnantibus. Tamen, quo incommodius omnia caderent, eo diligentius viri docti ad severiora studia adducebantur. Sed ante Welckerum, virum in litteris graecis spectatissimum, nemini contigit, ut rem opinonibus temere captis confusam obscuritate eriperet. Fuit autem haec Welckeri virtus, ut Nitzschium secutus ex universa poesis epicae conditione de Homero et poetis cyclicis statuendum doceret. Altera autem laus accedit, quod primus, nisi fallor, duas poesis epicae aetates distinxit, quarum unam ἔπεα alteram ἐποποίας genuisse recte dicas; tum quod locos uberiores vel complexus fabularum tres numero apud Graecos invenit, quos, ut nunc loquimur, cyclum Herculis, Thebanum, Troianum appellare licet. Juvat igitur profiteri, viri doctissimi ingenio eo rem perductam esse, ut si minus omnibus at plurimis erroribus sublatis controversiae in dies magis evanescant aut paucioribus certe finibus contineantur. Quamquam nunc vix quisquam est, qui in priorum falsis opinionibus haereat, tamen propter abundantiam eorum, quae temere et leviuscule coniecta sunt, proponenda videntur aliqua ex parte, quae iis placuerunt, qui ingenio praestantissimi habentur.

Quaestionis autem initium ex veterum testimoniis repetendum arbitror, quorum gravissimum (praeter Clement. Alex. strom. I, 21. 132, Athenaei deipn. VIII p. 277 e, Aristotelis de poet. c. 8 et c. 23) exstat Procli apud Photium in bibl. Cod. 239. p. 521. Ed. Hoeschel. Memorabilem locum auctoris, quem non philosophum sectae Platonicae saeculo post Chr. V, sed grammaticum Eutychium Proclum fuisse, quo M. Antoninum magistro usum esse ferunt, Welckerianum ingenium evicit, totum afferre operae pretium videtur:

„Γεγόνασι δὲ, ait, τοῦ ἔπους ποιηταὶ κράτιστοι Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος, Πανύασις, Ἀντίμαχος. διέρχεται δὲ τούτων ὡς οἷόν τε καὶ γένος καὶ πατρίδας καί τινας ἐπὶ μέρους πράξεις. διαλαμβάνει δὲ καὶ περὶ τοῦ λεγομένου ἐπικοῦ κύκλου ὃς ἄρχεται μὲν ἐκ τῆς Οὐρανοῦ καὶ Γῆς μυθολογουμένης μίξεως, ἐξ ἧς αὐτῷ καὶ τρεῖς Παῖδας ἑκατοντόχειρας καὶ τρεῖς γεννῶσι κύκλωπας. διαπορεύεται δὲ τά τε ἄλλως περὶ θεῶν τοῖς Ἕλλησι μυθολογούμενα καὶ εἴ πού τι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἐξαληθίζεται καὶ περατοῦται ὁ ἐπικὸς κύκλος ἐκ διαφόρων ποιητῶν συμπληρούμενος μέχρι τῆς ἀποβάσεως Ὀδυσσέως τῆς εἰς Ἰθάκην, ἐν ᾗ καὶ ὑπὸ τοῦ παιδὸς Τηλεγόνου ἀγνοοῦντος κτείνεται. λέγει δὲ ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς οὐχ οὕτως διὰ τὴν ἀρετὴν ὡς διὰ τὴν ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων. λέγει δὲ καὶ τὰ ὀνόματα καὶ τὰς πατρίδας τῶν πραγματευσαμένων τὸν ἐπικὸν κύκλον. λέγει δὲ καὶ περὶ τῶν Κυπρίων ποιημάτων καὶ ὡς οἱ μὲν ταῦτα εἰς Στασῖνον ἀναφέρουσι Κύπριον, οἱ δὲ Ἡγησῖνον τὸν Σαλαμίνιον ἐπιγράφουσιν, οἱ δὲ Ὅμηρον. δοῦναι δὲ ὑπὲρ θυγατρὸς Στασίνῳ καὶ διὰ τὴν αὐτοῦ πατρίδα Κύπρια τὸν πόνον ἐπικληθῆναι, ἀλλ᾽ οὐ τίθεται ὁ συγγραφεὺς ταύτῃ τῇ αἰτίᾳ, μηδὲ γὰρ Κύπρια προπαροξυτόνως ἐπιγράφεσθαι τὰ ποιήματα.“

Ac primum quidem quaerendum est, qualis fuerit ille, quem Proclus descripsit, cyclus. Mirum enim est dictu, quot et quales virorum doctorum interpretationes hic locus genuerit. Photium constat in libris veterum auctorum iudicandis et excerpendis negligentius versatum esse, ita ut fides ei plane haberi non possit. Neque enim vir doctus poetas legit neque poesi et litterarum historia omnino adeo delectabatur, ut in has res studia conferret. Quam vero inepte de epicis poetis senserit, quos πραγματεύσασθαι dicit, non est, quod multa verba faciam (cf. Welcker. Ep. Cycl. I p. 25, Nitzsch. „Sagenpoesie“ p. 36.) Accedit, quod ipso Photio auctore Proclianae chrestomathiae eclogae tantum exstabant, quas eclogas iterum Photius excerpsit. Nam

chrestomathiam aut ipsum aut grammaticum quendam in usum privatum vel publicum excerpsisse verisimile est. Ipsa Procli chrestomathia aut mature videtur periisse, aut rariora eius exemplaria fuisse, quum ne Photius quidem ipso libro sed eclogis usus sit, forsitan iisdem, unde illa argumenta manabant. Sed redeamus ad propositum. Ac primum quidem monendum est, quaestionem eo perturbatam esse, quod nomina κύκλου et κυκλικῶν ποιητῶν ad varias res relata sunt. Joseph. Scaliger. cyclicam poesin esse putat, quae sine episodiis recto ordine historiam aliquam ab ipsis initiis usque ad finem persequatur. Non rectius iudicant, quamquam veritati propiores sunt, Casaubonus et Salmasius, quorum ille in animadv. in Athenaeum VII 3: „ἐπικὸς κύκλος est nomen corporis cuiusdam poetici, compositi olim ex antiquissimis poetis epicis, qui historiam fabularem descripserant." Salmasius in exercitat. Plinianis p. 594 — 604 dicit: „Cyclus epicus perpetuam historiam τῆς μυθικῆς complectebatur. D. Heinsio (Not. ad. Hor. carm. I. 7.) epicus cyclus idem fere est atque carmen perpetuum Ovidii propter ἀκολουθίαν πραγμάτων et perpetuum ordinem, quo hic cyclum quendam expressit. F. A. Wolfius, quamquam inique de poetis cyclicis censuit, quippe quibus vix quidquam artis et ingenii tribueret, tamen non falso de collectione illa iudicat: (proleg. p. 127.) „Fuit ille κύκλος ἐπικός multorum ἐπῶν ab initiis rerum usque ad mortem Ulyssis deductorum collectio omnem prope fabularem historiam perpetua et naturali serie amplectens. Sed quoniam res eo perducta est, ut dubitare nequeamus, quin nomina κύκλου et κυκλικῶν neque ad genus poetarum quoddam, neque ad auctores ipsos referenda sint, non longius haerebimus in falsis opinionibus eorum, qui Aristitolis quibusdam locis commoti cyclum epicum i. e. corpus poetarum antiquissimis temporibus compositum esse voluerunt.

Fuerunt enim, qui his locis valde obscuris cyclum significari arbitrarentur. Quem errorem, quo ne Wuellnerus quidem et W. Muellerus liberi fuerunt, Welckerus sustulit. Docet enim vir clarissimus, his Aristotelis locis (Analyt. post. I, 12. 10, de soph. elench. I, 10. 2.) alia prorsus contineri: ut Homericam poesin numeris absolutam quumque habeat initium, medium, finem, quae ex una actione nascantur, orbem conficere inque suum orbem redire recte dicas. Alter autem non minus gravis error eorum accedit, qui in locis grammaticorum, praesertim in scholiis ad Iliadem, carminum collectorem vel tempus, quo cyclus compositus sit, repperisse sibi videbantur. Hi enim, quae apud veteres grammaticos et scholiastas de cyclo Phaylli, Dionysii Samii vel Milesii, Polemonis, quin etiam Aristotelis legerentur testimonia, his collectorem vel collectores epici cycli significari existimabant. Et huius rei in lucem protractae laus penes Welckerum est, quum eius generis cyclos ad alia prorsus litterarum studia referendos doceat. Horum cyclorum natura haec erat, ut homines litterati, qui praeter ceteros saperent, carmina bonorum poetarum epicorum excerperent et apte collocarent in libris, qui rebus publicis et privatis, praesertim scholis usui essent, eaque ratione usi memorialem librum vel compendium fabularum, ut Appollodorus in bibliotheca, Hyginus, alii, efficerent. Exstant ad Iliadem quattuor scholia, ad Il. XIX, 326, de Achille in Scyro morante
„ XVIII, 486, de Pleiadibus
„ XXIII, 660, de Phorba pugile
„ XXIII, 341, de equo Arione,

in quibus leguntur: ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς κυκλικοῖς. Quorum scholiorum fontem non tam Arctini, Leschis vel Stasini poema, quam librum esse, quem fortasse Polemon vel unus ex Polemoniis vel cyclicis de mythologica scripserat, satis apparet ex ipsa natura fabularum, quae ibi narrantur. Quare veteribus illis poetis nihil plane commune esse

cum iis vel mythographis vel cyclographis nemo est, quin intelligat. Errant igitur, qui Dionysium aut Polemonem collectorem epici cycli faciunt, quo in errore versari video Langium (de ep. Cyclo, p. 25).

Evicit diligentia Welckeriana hoc munus colligendi et in unum redigendi ad Alexandrinorum studia referendum esse. Abiicienda enim est sententia eorum, qui Pisistratum collectorem esse putant, quia cycli et cyclicorum mentio ante grammaticorum aetatem nulla fit, neque rem tanti momenti veteres silentio transituros fuisse credibile est. Neque minus aliorum de cyclicorum carminum editione sententiae argumentis carent. Muellerus l. c. p. 31. editionem cycli Aristotelis tempore notissimi refert ad Olymp. LXXX—LXXXV; Wuellnero (p. 13. sq.) nomen recentius, res ipsa tamen antiqua videtur. „Antiquior Graecia, ait, copiam satis magnam epicorum carminum habuit, quae in suo ordine disposita totam fabularem historiam serie continua et naturali complectebantur. Hanc dispositionem illis temporibus admodum difficilem re vera factam esse, nec probabile nec verisimile videtur. Qui autem carmina illa eorumque argumenta cognita habebat, sane non potuit, quin secundum naturalem fabularum seriem cogitaret ea disposita cyclumque animo suo informaret. Initio igitur cyclus nonnisi mente conceptus exstitit, deinde vero grammaticorum aetate indices eorum carminum, quae cyclum constituebant, sunt confecti. Indicem talem Proclus fecit, qui in chrestomathia de epico cyclo eiusque argumento et natura disputavit, poetas et carmina enumeravit, argumenta exposuit et adscripsit. Ex his autem apparet, omnes et singulos cycli poetas eo consilio, ut cyclum aliquem constituerent, poëmata sua composuisse, statuere non licere.“ Talia magis speciose quam vere dici patet. Sed audiamus Welckerum. Is (l. c. p. 8.) loco illo grammatici Caecii,*) quem

*) Postea critici recte viderunt, hunc Caecium alium nullum nisi Tzetzen fuisse.

Osannus Romae in codice Plautino repperit, Zenodotum cycli epici collatorem' significari docet. Verba scholii haec sunt: „Alexander Aetolus et Lycophron Chalcidensis et Zenodotus Ephesius impulsu regis Ptolemaei Philadelphi cognomento artis poetices libros in unum collegerunt et in ordinem redegerunt: Alexander tragoedias, Lycophron comoedias, Zenodotus vero Homeri poemata et reliquorum poetarum illustrium." Sunt qui illustres illos poetas intelligant Hesiodum, Panyasin, Pisandrum, Antimachum, operamque Zenodoti eo contineri putent ut, quae horum carmina ferrentur, in unum collegerit, quare memorabili loco quidquam inesse negant, unde epicus cyclus i. e. collectio poetarum cyclicorum confirmetur. (cf. Lange l. c. p. 56. sq.) Qua in re, quamquam Welckeri sententiam certis argumentis carere fateor, tamen maxime ad probabilitatem et fidem accedit. Idem sentio de iis, quae affert Welckerus. Legimus enim apud Ausonium Ep. XVIII:

„Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri."

„Lacerum illud corpus" Welckerus Homeri et Homericorum i. e. cyclicorum poetarum habet. Quid obstat, dicas fortasse, quominus illud munus Aristophani vel poetius Aristarcho his verbis tribuatur, aut, si Zenodotum collectorem posueris, illud σωμάτιον Iliadem et Odysseam intelligas? Minime, dicant alii, credendum est, viros doctos qui praeter ceteros literis operam darent, illud Ausonii fugere potuisse.

§. 5.

Jam restat, ut quaeramus, quid sibi velint loci illi veterum, qui de cyclicis inique statuunt. Facile assentior Langio qui appellationi κυκλικῶν easdem vicissitudines atque nomini ῥαψῳδῶν obtigisse putat, quod utrumque in vilem opinionem abierit. Graecia enim infimae aetatis poetillas (στιχοποιούς) vidit, qui cantantes circumibant et lucri causa artem factitabant. Tales poetae, quos e rhapso-

dis natos esse Wuellnerus suspicatur, multis contemptui erant et nominabantur aut ab eo, quod ἐν κύκλῳ per oppida circumibant, aut quod ἐν κύκλοις i. e. in populi circulis sua aliorumque carmina decantabant. Quos certe notat scholiasta Acron ad Horat: „Cyclicus poeta est, qui carmina sua circumfert, quasi circumforaneus;“ et alio loco: „Cyclici dicuntur, qui circum civitates sunt recitantes.“ Quod genus hominum quaestuosorum a Romanis circulatores et circulares nominabantur, ut apud Senecam (ep. 29) mentio fit alicuius philosophi circularis. Huic quoque nomini alludere videtur Martialis (Epigr. II, 86):

„Scribat carmina circulis Palaemon. Me raris iuvat auribus placere.“ Quae quum ita sint, velim animadvertamus illud, neminem unquam veterum poetarum nec ullum carmen dictum esse cyclicum (praeter Thebaida τὴν κυκλικήν, ut distingueretur a Thebaide Antimachi Colophonii nobilis alioquin veteris poetae), appellativum autem κύκλου et κυκλικῶν neque a generis poesis neque ab argumento rerum, sed a natura ipsius collectionis sine dubio Alexandrinorum aetate confectae ductum esse; quare mecum intellegit quisque, aut eos, qui reprehendantur, putandos esse, quorum artem venalem supra descripsimus, aut eos, qui ingenio impares in aemulandis et imitandis praestantissimorum poetarum carminibus ita versabantur, ut, quum a vera arte degenerarent, risum et iram excitarent. Quare ad unum quendam ex iis poetis referendi videntur Horatii versus (Ars. poet. 36):

„Nec sic incipies ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.“
„Quanto rectius hic (Homerus) qui nil molitur inepte.“

Aliter Welckerus, qui Antimachum Colophonium poetae Venusini scriptorem hunc cyclicum putat esse. Eodem spectat Callimachi epigramma:

„Ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικὸν οὐδὲ κελεύθῳ
Χαίρω τις πολλοὺς ὧδε καὶ ὧδε φέρει.

Μισῶ καὶ περίφοιτον ἐρώμενον οὔτ' ἀπὸ κρήνης
Πίνω σικχαίνω πάντα τὰ δημόσια.

Non autem credendum est, virum doctissimum et elegantissimum tam inique de vetustissimis poetis iudicare potuisse. Welckerus Callimachum his verbis dithyramborum poetas facit vituperantem, sed ποίημα aliud quidquam significare quam carmen epicum, non video. Hos denique poetas notat Polliani epigramma notissimum: (Anthol. graec ed. Jac XI, 130.).

„Τοὺς κυκλίους, τούτους τοὺς αὐτὰρ ἔπειτα λέγοντας
Μισῶ- λωποδύτας ἀλλοτρίων ἐπέων
Οἱ δ' οὕτως τὸν Ὅμηρον ἀναιδῶς λωποδυτῶσιν
ὥστε γράφειν ἤδη „Μῆνιν ἄειδε θεά."

Nemo veterum poetis cycli epici id unquam crimini dedit, quod Pollianus κυκλίοις; (κύκλιοι mihi idem videntur esse atque κυκλικοί multis obloquentibus et κύκλια μέλη interpretantibus (cf. schol. ad. Aristoph. aves 919.) Sed haec hactenus.

Fuit igitur cyclus epicus collectio antiquissimorum carminum ita comparata, ut continua serie et apto ordine historiam fabularem inde ab amore Urani Terraeque usque ad mortem Ulixis contineret. Agnoscimus Homeri aemulos ea sive verecundia sive inventione usos, ut neque eadem, quae Homerus occupavisset, recolerent, neque eius argumentis unquam se ingererent, nec denique inter illius et sua carmina quidquam intervalli relinquerent. Elaborarunt in iis, quae in antiquioribus carminibus brevius narrata Iliadis et Odysseae auctor sive auctores passim tantum delibaverant. Itaque, quum hi similiter poetas antiquiores sequerentur, tamen, gravissimis fabulae Troianae partibus ab Homero occupatis, ipsa conditione componendi carminis utebantur iniquiore. Adde ingeniorum diversitatem, aequalium studia, qui quum ab epicis prope doceri, quam oblectari mallent, carminis varietatem et fabularum multiplicem copiam facile in lucro ponebant,

dum singula deinceps exposita lucem et suavitatem haberent. Eadem enim aetas carmina, quae genealogias et quosdam heroum quasi annales complectebantur, multa vidit. Verum ista ratio omnis Troianae fabulae poetas non prohibuit, quominus id, in quo Homericae virtutis quasi principium et ultima ratio sita est, ut eventus omnes interno aliquo vinculo continerentur, bene et ipsi tenerent. (cf. Nitzsch. Hist. Hom. I, p. 113, p. 152; II. p. 15.) Itaque cyclici poetae ii habendi sunt, qui haud inscite Homerum aemulabantur ita, ut in conterminis Iliadi et Odyssea argumentis elaborarent. Idem cognoscitur ex memorabili scholio, quod Osannus repertum in Cod. Paresino ad Clement. Alexand. cohort. ad Graec. p. 19. A. primus vulgavit:

Κύπρια ποιήματά εἰσι τὰ τοῦ κύκλου. περιέχει δὲ ἁρπαγὴν Ἑλένης· ὁ δὲ ποιητὴς αὐτῶν ἄδηλος. εἷς γάρ ἐστι τῶν κυκλικῶν: κυκλικοὶ δὲ καλοῦνται ποιηταὶ οἱ τὰ κύκλῳ τῆς Ἰλιάδος ἢ τὰ πρῶτα ἢ μεταγενέστερα ἐξ αὐτῶν τῶν Ὁμηρικῶν συγγράψαντες.

Welckerus autem eos tantum poetas epico cyclo adnumerandos censet, quorum carmina Homerica fuerint habita. (cf. l. l. p. 20.) Quare Nitzschius adversarius exstitit acerrimus reprehendens, quod memoriam acceptissimi poetae nomine eius ad omnes aemulos et ingentem numerum carminum, quae eadem cyclica essent, propagato, multis modis corrupisset. Leguntur enim in libro, qui „Sagenpoesie“ inscribitur praeter alia haec: „Der epische Cyclus ist dem verdienstreichen Aufklärer der beiden Hauptarten der Sagenpoesie wie ein böser, neidvoller Geist in seine Saaten gekommen; er hat ihm Alles entstellt, den Dichtergenius Homer, das nationale Leben der Poesie, die epische Einheit, das Verhältniss der tragischen Stoffe zu den epischen.“

De serie autem atque numero carminum epici cycli viri docti non minus inter se dissentiunt. In cyclum relata erant haec carmina: Titanomachia, Danais, Ama-

zonia, Oedipodea, Thebais vel Amphiarai expeditio, Epigoni, Minyas (Phocais), Οἰχαλίας ἅλωσις Cypria, Ilias, Aethiopis, Ilias parva, Ἰλίου πέρσις, Nosti, Odyssea, Telegonea, ex quibus Nitzschius, nescio an iure, Titanomachiam Oedipodeam, Danaim, Amazoniam eximendas esse arbitratur. („Sagenpoesie", p. 13 ff.)

§. 6.

Ad confirmandam autem sententiam nostram de discrimine, quod intercedat inter Homericorum et epici cycli carmina, duo potissimum veterum scriptorum testimonia in promptu habemus, quorum alterum apud Photium in Chrest., alterum multo gravius apud Aristotelem Poet. c. VIII. et c. XXIII. legitur. Hoc autem praemittendum videtur, tantum abesse, ut viri docti, in quibus Wolfius, intellexerint, quid veterum testimonia sibi velint, ut omnem artem et ingenium poetis abjudicaverint. Nam in prolegom. p. 125. haec legimus: „In illis paucis, quae (de cyclicis poetis) scimus, hoc est maxime memorabile, quod cyclici omnes haec Homerica artificia vel non animadverterunt, vel ab aequalibus animadversa imitari aut noluerunt aut non potuerunt. Etenim legat nobis aliquis epitomas illas Cypriorum et aliorum quinque carminum nuper editas et experiatur, an in ullo eorum primarium heroem aut primariam actionem aut repetitam ex mediis rebus narrationem, qualis in Odyssea est, reperiat. Percense item reliqua illius aevi epica carmina, sive carminum argumenta, genealogias deorum et heroum, Dionysiaca etc., in nullo unam vel primariam actionem episodiis ad modum Iliadis intertextam deprehendes. Magno auctore id affirmo, non conjectura ductus. Ita enim Aristoteles ubique praedicat de Homero, ita eum propter istam ipsam rem ceteris in eodem genere omnibus anteponit, etc; ex quo satis apparet, cyclicos poetas res suas eodem ordine, quo deinceps consecutae essent, non ad formam Odysseae

nostrae narravisse. Quae cum ita sint, quis putet, illos omnes eam artem, quae tam eximiae perfectionis caussa est, si ab Homero adhibitam vidissent, aut non intellexisse aut intellectam aemulari noluisse?"

Quod quam praepopere et temere dictum sit, demonstrare prae ceteris placuit Nitzschio in dissertatione saepe laudata „de Aristotele contra Wolfianos sive de carminibus cycli Trojani recte inter se comparandis disputatio Kiel 1831." Apponamus autem Procli de cyclicorum carminibus breve iudicium. Verba haec sunt:

„λέγει (δὲ Πρόκλος) ὡς τοῦ ἐπικοῦ κύκλου τὰ ποιήματα διασώζεται καὶ σπουδάζεται τοῖς πολλοῖς οὐχ οὕτω διὰ τὴν ἀρετὴν ὡς διὰ ἀκολουθίαν τῶν ἐν αὐτῷ πραγμάτων."

Haec verba quid sibi velint, varie disputatum est a viris doctis. Casaubonus, Salmasius, Wolfius iis omnem artem poetis derogari censent. Welckerus. l. c. p. 29 sq. de his Proclum rectius iudicare arbitratur quum dicat: Horum poetarum carmina vulgo lectitari non tam propter praestantiam, (non semper satis intellectam), quam ob rerum narratarum seriem aptam et continuam, i. e. lectitari, non quin nulla in iis insit praestantia, sed quod huius ipsius non satis ratio habeatur. Muellerus l. c. p. 11. Procli iniquum iudicium non ad omnes, neque ad Homerum neque ad auctorem Thebaidis referendum esse putat. Nitzschius l. c. p. 14. illud non tam genuinam integrorum carminum formam, quam decurtatorum illam collectionem spectare et ad utentium magis studia quam ipsorum carminum conditionem referendum arbitratur. G. Langius l. c. inde a pag. 30 accuratius de hac re disputat, ita tamen, ut a prioribus plane dissentiat, quippe qui a Genitivo τοῦ ἐπικοῦ κύκλου ex ποιήματα pendente subjectum ἐπικὸς κύκλος ad σπουδάζεται καὶ διασώζεται supplendum esse ratus in hunc modum interpretetur: „Cyclum i. e. collectionem illam vulgo lectitari etc", quod minime probabile mihi videtur. Teneamus igitur, carmina epici cycli Homericis

postponi solita esse, non propter praestantiam, quam propter cognitionis utilitatem.

Iam, ut ad alterum testimonium veniamus: de argumenti delectu justaque fabulae in unam actionem comprehensione duobus maxime poetices locis Aristoteles praecipit ita, ut primas Homero deferat. Quorum altero Iliadis, altero Odysseae descriptionem ille accuratius definivit. „Poetae, ait, (poet. XXIII.) epico non historiarum simili complexione utendum esse, in quibus quaecunque uno eodemque tempore in uno ant pluribus evenerint, etsi nulla inter se necessitudine copulentur, junctum tamen exponi oporteat. Neque magis, si alterum alteri temporis quidem serie nexum sit, sed in unum contigua finem non conspirent. Epicorum enim illud potius esse, ut unam actionem conficiant, quae a principio per medium ad exitum procedens integra sit suosque habeat numeros. Ita denique quasi animal quoddam effici unum et integrum, quod insitam epico generi voluptatem vere excitet. Iam poetas quidem fere plerosque secus fecisse, quippe qui circa hominem unum et tempus unum et actionem multarum partium versati sint. Velut Cypriorum et Iliadis minoris auctores, quorum rationem eo maxime existimari posse, quod utrumque poema multis tragoediis argumenta suppeditaverit. Quare, pergit, in hac quoque re divinus videatur Homerus ad ceteros, quod non bellum, quamvis principium et finem habens, totum tractare aggressus est, sed una parte delecta, episodia multa adhibuit, velut navium catalogum et alia ,quibus poesin distinguit.“ Haec ille, in quibus maxime comparatio, qua Iliadem parvam et Cypria Homerico carmini postponit, nos convertere debet.

Et cap. VIII. docet ille primum, fabulam unam non esse, quae circa unum hominem versetur; uni enim infinata passim evenire posse, quorum e quibusdam nihil fiat unum. Itaque etiam unius hominis eiusdem multas esse actiones, quae in unam actionem non coeant. Quare

reprehendendos esse poetas, quicunque Heracleida, sive Theseida, sive alia eius generis poemata composuerint, opinantes, quum Hercules fuerit unus, fabulam quoque de eo unam esse debere. Et pergit: „Ὁ δὲ Ὅμηρος, ὥςπερ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν ἤτοι διὰ τέχνην ἢ διὰ φύσιν."

Aristoteles quid his verbis voluerit, manifestum est. (conf. Nitzch. de Arist. c. Wolf. p. 3 sq.) Est autem eius vituperatio non tam gravis, quam multi censent. Nam primum illud monendum est, Aristotelis iudicium non referendum esse ad omnes veteres poetas, quippe qui σχεδὸν δὲ οἱ πολλοὶ τῶν ποιητῶν τοῦτο δρῶσιν profiteatur. Itaque si ea res aliquam ad Aristotelis iudicium probandum vim habet, ceteris carminibus, quae ille sententiae suae confirmandae minus adhibere voluit, ex eo silentio laudis aliquid conciliari licebit. Longe autem id nobis expeditius esset, si plura philosopho carmina in comparationem adhibere placuisset. Nunc frustra requirimus, quid de Epigonis, vel Thebaide et de Oechaliae Halosi censuerit, quorum fama insignis nos maxime convertit. Itaque, quum ille satis haberet, Cypria et Iliadem parvam breviter commemorare exemplum carminis, quod imprimis tragoediis materiem praebuerit plurimis culpamque eius rei omnem in poetae ingenium conferre, paucis, quid his verbis insit, adumbrare operae pretium videtur.

§. 7.

Aristoteles illos auctores, quorum carmina affert, neque ingenio omnino neque arte destitutos habuisse certe putandus est, quum eos circa unum hominem et unum tempus, sed actionem multarum partium versatos dicat. Reprehendit eos, quod eorum actio non una et simplex, sed multiplex sit. Quam ob rem Iliadem et Odysseam compositionis praestantia super omnia epicorum

aliorum carmina extulit ipsumque Homerum prae ceteris θεσπέσιον nominavit (Ὅμηρος μέντοι πάντων κορυφαῖος ὁ κατ' ἐξοχὴν ποιητὴς λεγόμενος.) Persuasum autem habemus, Aristotelem considerate ac merito etiam descriptionis laudem carminibus Homericis dedisse. Observaverat enim Odysseam statim ab initio in exitum intentam eo artificio Ulixem in adumbratam prioribus libris conditionem adducere, auctaeque sensim culpae vindicem sistere, ut cum huius operis complicatione ac sollertia nullum posset carmen comparari. Iliadem vero viderat eam belli Troiani conditionem habere, quae a primis irae caussis profecta omnibus eius effectibus exhaustis, in Achillis animo ad humanitatem revocato compositoque Hectoris funere consisteret. Itaque si Aristotelem sequimur ducem, (longe autem alia quaestionis conditio esset, si unum alterumve carmen ex litterarum naufragio ereptum in comparationem adhibere liceret) ratio, quae interest inter Homeri et cyclicorum poetarum carmina eo potissimum continetur, ut illos poetas putemus et descriptione et artificio et compositione Homeri vestigia religiose ingressos esse, substitisse tamen infra summum, quo carmen evexit Homerus, fastigium, et pro tenuiore, quod iis erat, ingenio varias herois alicuius ἀριστείας deinceps enarrasse potius, quam circa unam primariam actionem ceteras omnes ita posuisse atque ordinasse, ut non inservirent nisi augendae et extollendae primariae. Recte igitur Welckerus: „In ihrer ganzen Gewalt zeigt sich die Ilias in dieser Art des Einflusses. Sie ist wie ein Gestirn mit vielen Trabanten, die seine eigene Herrlichkeit erhöhen; wie eine Sonne hält sie ihre Planeten in nahen und entfernten Bahnen in ihrem eigenen Kreise gebannt, unter denen wegen der Nähe, worin sie uns sichtbar ist, die Odyssee gleich dem Monde unter kleineren Sternen leuchtet. Wie wahr das sei, was ein Grammatiker sagt, das Entwickeln aus dem Homerischen selbst, wie sorgfältig die spätern

Dichter alle in der Ilias und Odyssee liegenden Motive und Anspielungen aufgesucht und benutzt haben, vergleichend zu erforschen, gibt eine recht wohlthuende Vorstellung von der hohen Innigkeit, womit die Einbildungskraft sich den beiden Meisterwerken anschmiegte und von dem Gefühle vollendeter Zweckmässigkeit und Harmonie, das sie den talentvollsten Jüngern eingeflösst haben müssen. (Welcker. Ep. Cycl. I. p. 308.)

§. 8.

Iam restat, ut, quomodo in tractandis adornandisque fabulis et in describendis hominum moribus cyclici poetae versati sint, paucis illustremus. Sed in hac re praeter tenues reliquias nos ipsa adiumenta deficiunt, quae bonarum litterarum naufragio periisse valde dolemus. Verum iam illud, quod ob praestantiam non pauca carmina ad Homerum olim a multis referebantur, documento videtur esse, non omni laude ea destituta fuisse, et quamquam nonnullorum carminum virtutes silentio praetereunt, alia tamen magnis efferunt laudibus. Sic Thebais cyclica digna fuit, quae Homero tribueretur proximumque ab Odyssea locum teneret (cf. Herod. IV. 32.) Quo factum est, ut non solum tragici poetae, in his maxime Sophocles, quem epico cyclo delectatum esse indeque tragoediarum multas fabulas petiisse Athenaeus VIII p. 277 D. refert, sed quicunque historiam mythicam e puris fontibus haurire vellent, carmina cycli adirent. Artifices porro in signis picturisque conficiendis carmina cyclica secutos esse constat. Nam eos in eximiis operibus carmina plerumque expressisse ex historia artium patet, et quid Graeci ab iis exegerint praeter alios, Pausanias auctor est. Polygnotus, pictor ille clarissimus, in tabula, qua Lesche Delphica erat exornata, Pausania auctore, cui fides in hac re habenda est, his potissimum carminibus usus est: Homeri Iliade et Odyssea, Iliade parva, Ilii

Perside, Cypriis, Minyade. In tabula porro Iliaca praeter carmina Homeri et Ilii Persin Stesichori haec epici cycli nominantur: Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον Μιλήσιον, Ἰλιὰς μικρὰ λεγομένη κατὰ Λέσχην Πυῤῥαῖον. (cf. Mueller Ep. Cycl. in append. p. 149.)

Quodsi scriptores et poetas et Graecorum et Romanorum, qui, quantum scimus, in imitandis cyclicorum carminibus mire sibi placuerunt, perlustrare velimus, vereor ne haec una pars reliquae commentationis magnitudinem adaequet, fortasse superet. Omittamus ergo omnes illos logographos et mythographos, mittamus poetas et scriptores aetatis Alexandrinorum, Callimachum, Apollonium Rhodium, Apollodorum, quos ex antiquis illis poetis mythos hausisse hisque explicandis operam navasse satis constat. Quid lyrici et tragici poetae? Atque lyricorum Pindarus solus aetatem tulit. Qui quomodo in Graecorum fabulis tractandis versatus sit, viri docti satis explanarunt. Multis locis omnia cum cyclicorum carminum, potissimum Cypriorum narratione congruunt, ut haec Pindarum ante oculos habuisse, quin etiam secutum esse satis confirmetur. Conf. Nem. X. 9. de Castore et Polluce; Olymp. II, 90. de cygno ab Achille interfecto; Pyth. III. 90 de diis Pelei et Thetidis nuptias obeuntibus et dona ferentibus; Isthm. VII. 50 de Telepho ab Achille vulnerato. etc.

De tragicorum poetarum mythos tractandi et immutandi ratione, non est, quod multa verba faciam. Satis enim vel ex iis, quae supersunt, fabulis patet, summa licentia eos in adornandis mythis usos esse, partim, quo τραγικώτερον esset, quod ageretur, partim quod vulgatam fabulam iam alii occupaverant, interdum etiam, quod eandem fabulam ipsi in alia tragoedia aliter exhibere, quam sine ulla varietate repetere malebant. Itaque quod ait Aristoteles l. c. multis tragoediis carmina Cypria et Iliadem parvam materiam suppeditare, id non tam de singularum rerum ordine ac descriptione, quam de argu-

menti summa intelligendum videtur. Etenim ut triumviros tragoediae graecae varia ratione idem argumentum in Choephoris et utraque Electra tractasse videmus, ita Aeschyli et Euripidis fabulas, Philoctetae nomine inscriptas, aliter dispositas fuisse, quam Sophoclis, quae exstat, tragoediam, ex Dionis Chrysost. orat. LII. cognovimus. Idem usu venisse apparet in tragoediis iis, quae in antehomericis et posthomericis argumentis versabantur, quorumque nonnisi inscriptiones et pauca frustula ad nos pervenere. In quibus omnibus tragoediis, quas lugemus deperditas, aliae ex aliis cyclicorum carminibus fabulae haustae aliaeque aliter pro cuiusque ingenio atque indole ornatae et expositae esse putandae sunt. Omnino autem cyclica carmina tragicis poetis multa argumenta magnamque fabularum varietatem praebuisse, et res ipsa loquitur nec obscura testimonia veterum significant.

§. 9.

Poetae latini antiquissimi, Livius Andronicus, Naevius, Ennius, Pacuvius, Accius in tragoediis componendis Graecorum tragicorum vestigia adeo persecuti sunt, ut non solum eorum sententias exprimerent, verum etiam, id quod e fragmentis patet, verba plerumque latine verterent atque interpretarentur. (cf. Sueton. de illustr. grammat. 1. „Antiquissimi doctorum, qui iidem poetae et oratores semigraeci erant, nihil amplius, quam graeca interpretabantur, ac si quid latine ipsi composuissent, praelegebant“). Quod igitur supra de tragicis graecis dictum est, id maiore iure de latinis iudicandum, qui hos solos auctores secuti sunt.

Epica Romanorum poesis antiquioribus iam temporibus culta laetissime effloruit Augusti aetate, quae poetarum ut praestantissimorum ita doctissimorum ferax erat. Non facile poeta nisi lectis optimorum graecorum poetarum carminibus ad scribendum accessit. Hoc quum

cunctos huius aetatis poetas spectat, tum maxime epicos, quibus non solum artem, sed etiam res suppeditabant Graeci. Ex omnibus autem argumentis epicis maxime res Troianae in deliciis erant, quippe quae et uberrimam poeticae facultatis expromendae materiam praeberent, et illius vatis praeconio celebratae essent, cui vel magno intervallo proximum esse summa laus ducebatur. Quos tamen auctores poetae Romanorum in rebus Troicis praedicandis maxime secuti sint, quum tam pauca sint, quae exstant, fragmenta, difficile est dictu. Hoc tamen in universum affirmari posse videtur, non solum Homeri, sed etiam cyclicorum carmina ab iis fuisse adhibita, quibus clarorum herorum res gestae moresque exquisitius celebrata viderentur. Nam sine dubio Vergilius praeter Homerum, Leschis, Arctini, Agiae carmina perlustravit, quorum fabulas et rerum descriptionem in usum convertit. Quod eo magis ad Ovidium pertinet, quo maiorem ille doctrinam in omnibus carminibus prae se fert, quamvis dubitari non possit, quin non solum ex epicorum carminibus, quae enarrentur, petiverit, sed etiam ex tragicis et Alexandrinorum libris, quorum non pauci erant de mutatis figuris. Ovidio et aetate par et familiaritate coniunctus Aemilius Macer res Troianas tractavit epico carmine, quare Iliacum eum dicit Ovidius in Epist. ex Ponto IV, 16, 6. Huius Macri bellum Troianum bipartitum fuit; prior pars res ab initio belli usque ad Achillis iram complexa videtur esse. Etenim Ovidius Amor. II, 18, 1.:

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem
Primaque iuratis induis arma viris.

Altera autem pars in posthomericis versabatur, ut indicant versus Ovidii Epist. ex Ponto l. II, 10, 43:

Tu canis aeterno quidquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu.

§. 10.

Homerum ducem et auspicem dici posse, cuius ad exemplum cyclici poetae carmina composuerint, satis mihi multa verba fecisse videor. Formam et elocutionem cyclicorum congruere cum Homeri, satis apparet ex fragmentis, quae supersunt.

Initium Thebaidis cyclicae est:

Ἄργος ἄειδε θεὰ πολυδίψιον.

Ex fragm. carm. Cyprior. haec:

Ἄλλοτε μὲν κατὰ κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,

porro: Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή,

θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας,

ἡ δὲ σὺν ἀμφιπόλοισι φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη.

Ex fragmentis Iliadis parvae affero: Initium:

Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον

ἧς πέρι πολλὰ πάθον Δαναοὶ θεράποντες Ἄρηος.

porro: κατάγει κοίλας ἔπι νῆας,

Παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου εὐπλοκάμοιο τιθήνης

formas: ἠΰζωνον παράκοιτιν, ἀριστῆες Παναχαιῶν.

Ex fragm. Ilii Persidis:

Αὐτὸς γάρ σφιν ἔδωκε πατὴρ κλυτὸς Ἐννοσίγαιος

porro: ἐνὶ στήθεσσιν ἔθηκεν ἀμείψασθαι ἐπέεσσιν.

Ex fragm. Nostorum:

Φάρμακα πόλλ' ἕψουσι ἐπὶ χρυσείοισι λέβησι

et alia, quae apponere longum videtur.

Ex scholiis ad Homerum et ex argumentis cyclicorum poetarum apud Proclum apparet, in utrorumque carminibus poetas saepenumero eadem ratione in fabulis tractandis usos esse. Talis fabularum tractandarum ratio non raro reperitur: Deorum in Pelei nuptiis frequentia Il. XXIV. 60; Paridis iudicium Il. XXIV. 28; rapta Menelai coniux et raptae possessiones Il. XXIII, 626, cff. Il. III, 70, XXII, 114; Castoris et Pollucis vita et mors alternis diebus Odyss. XI, 303; Achilles e Phthia ultro a Peleo

in bellum missus Il. IX, 439. XI, 765; ostentum draconis passeres comedentis Il. II, 300; Philoctetes in Lemno insula ob vulnus relictus Il. II, 721; Protesilaus interfectus, quumGraecorum primus navi exsiliret Il. II, 698, XV, 705; legatio Graecorum ad Helenam resque repetendas Il. III, 205, XI, 139; urbs expugnata Il. VI, 435; Achillis adversus urbes Troiano agro adiacentes expeditio Il. IX, 325, II, 690 Od. III, 105; pugna Achillis cum Aenea in Ida monte et boves abacti Il. XX, 90; Troilus interfectus Il. XXIV, 257; Troianorum auxilia Il. II, 816.

Sed quum neque omnia, quae primis belli annis gesta erant, commemorasset Homerus, qui extremum obsidionis annum descripsisset, neque prout rerum ipsarum ordo postulabat, sed ut ad id, quod ipsi propositum erat, illustrandum singula maxime facere videbantur, neque earum ipsarum rerum nisi primas lineas ille duxisset, quum ad ipsius argumentum non pertinerent: in his rebus, quae longissime patebant, disponendis et exornandis aemuli poetae principis elaborabant. Itaque quum Homerica carmina haberent cognita, ad eorum exemplum vetusta ἀοιδῶν carmina in suos usus converterunt et simul cum aliis narrationibus fama atque memoria acceptis adhibuerunt. Sed quoniam fabulae pro varia hominum populorumque indole varie traduntur et accipiuntur, non mirum est, multa apud cyclicos novata vel aliter atque in homericis narrata fuisse. Neque enim probabile est, posteriores poetas tam religiose vestigiis Homeri institisse, ut non interdum famam aliis locis aliter vulgatam primi versibus mandare, quam ea, quae iam trita essent, recoquere maluerint. Hanc religionem, quominus ab Homeri narratione interdum animi varietatisque caussa recederent et ipsi inter se discreparent, impedimento iis non fuisse, satis affirmant fragmenta, quae hand ita magno numero in scholiis ad Homerum et tragicos poetas servata sunt. Ita in Aethiopide Arctini praeter expiationem Achillis

Homero prorsus ignotam, Memnonem et Achillem supra Sarpedonis in Iliade sortem exemplo Hesiodi divinitate donatos conspicimus. Cypriorum poeta ex suae aetatis opinionibus plura novavit ab Homeri mente prorsus aliena velut, quod Helenam Nemesios filiam fecit et Palamedem intulit Homero incognitum. Quam dissimilem rationem et ingenio poetarum et materiae carminis et maxime aetatis studiis imputamus. Praeterea apparet fabularum et opinionum quarundam discrepantia, qua cyclici ab Homero dissident: Helena iam deae propior, quam vel heroinae; Achilles non de miseria apud inferos conquerens sed intercedente matre in Leucam divinitatisque sortem ablatus; Palamedes ab Ulixe, quem ad pugnam evocavit, neci datus; simul belli Troiani caussa tristior; Cassandra furore divino abrepta et expiatus ritu Homerico prorsus incognito Achilles. De Dioscuris, Paridis itinere, Achillis nuptiis, Agamemnonis filiabus cyclici poetae aliter tradiderunt atque Homerus. Hic Il. III, 445. in Cranae demum insula Paridem cum Helena concubuisse narrat, Cypria vero carmina eum μετὰ τὴν μίξιν καὶ πλεῖστα κτήματα ἐνθεμένους noctu cum Helena fugisse narrant. Lycaon apud Homerum Il. XXI, 34. ab ipso Achille, in carminibus Cypriis a Patroclo, ut veneat, in Lemnum ducitur. Denique, ut totius commentationis finem faciam, Homerus Odyss. XXIV, 115. Ulixis moras in expeditione adversus Troiam suscipienda commemorat, sed fabulam de eius insania deque Palamedis dolo Stasinus primus videtur tractasse.

Corrigenda.

Pag. 4 v. 3	pro	espediturus	lege	expediturus.
„ 6 v. 15	„	νόστιος	„	νόστοις.
„ 8 v. 9	„	heriditate	„	hereditate.
„ 17 v. 21	„	poetius	„	potius.